

um milium utriusque sexus, obtento silentio tam dulciter ista intromissis in crucem, manibus quam tenebat, oculis dixit, quod omnes ad fletum maximum introduxit: „*Domne Iesu Christe, vera lux*³⁸ *omnium in te credentium, tuam clementiam exoro, ut si Petrus Papiensis, qui Florentinus episcopus dicitur, interventu pecunie, id est munere a manu, quod est symoniaca heresis, Florentinam arripuit sedem, tu nunc filii eterni patris salus mea in hoc tremendo iudicio ad adiuvandum me festina*³⁹ *et me illesum sine aliqua combustionis macula mirabiliter conserva, sicut condam illesos salvasti tres pueros in camino ignis ardentis*⁴⁰, *qui cum coeterno patre tuo et spiritu sancto vivis et regnas in secula seculorum*⁴¹“.

Cum omnes respondissent amen⁴², se ac ignem signo crucis munivit et crucifixi ymaginem manu dextra tenens in altum oculos^d erexit et facie letissima in ignem introivit et plane per ignis medium transiens et usque ad finem sic deveniens illesus exivit. O Christi benignitas! Flamma ignis super verticem ipsius exurgens albam intrabat, intrando ad modum venti inflabat, capillos corone levabat, cinguli manipuli et stole fimbras more vehementis flatus hincinde levabat et naturali calore deposito nullam eis uredinem^e inferebat. Conclusus totus in flamma vir dei erat et cunctorum astantium iudicio, ceu foret balneo suavissimo, quiescebat. Egressus regredi eadem via eodem modo volebat. Quod dum clerus et populus circumstans flendo maximo rumore conspiceret, ipsum acceperunt et deum per unius hore spacium ploratu magno regatiantes facere eum nullatenus permiserunt.

Andr. Strum.
§ 78

15. Florentinus populus Florentiam rediit. Alexandro supradicto summo pontifici per sollempnes nuntios factum per ordinem exposuit. Qui predictum Petrum confusum amovit⁴³ et venerabilem virum dompnium Ro-

d) am Rand.

e) uridinem.

³⁸) Vgl. Ioh. 1, 9: *erat lux vera*

³⁹) Vgl. Ps. 69, 2: *Domine, ad adiuvandum me festina.*

⁴⁰) Vgl. Dan. 3, 8 sqq., 17: ... *de camino ignis ardentis* ...

⁴¹) Vgl. Tob. 9, 11 (Apoc. 4, 9; 11, 15): ... *qui regnat in saecula saeculorum.*

⁴²) Andreas, Vita S. Ioh. Gualb., MGH SS 30, 2 S. 1098; Hatto, Vita S. Ioh. Gualb., Migne PL 146 Sp. 696; G. Miccoli (wie Anm. 31) S. 154: ... *credentium, tuam misericordiam peto, tuam clementiam* ...; ... *arripuit sedem, nunc tu,* ...; ... *et spiritu sancto omnia cooperaris et vivis* ...; *cumque omnes qui aderant respondissent amen.*

⁴³) Auf der Fastensynode zu Rom am 30. März 1068, letzte urkundl. Erwähnung Petrus' 1068 Juli 8; vgl. G. S c h w a r t z, Bistümer S. 210. Petrus wurde danach in Pomposa/Romagna Mönch; vgl. Berthold von S. Blasien, Annales, MGH SS 5 S. 273 f.; R. D a v i d s o h n, Forschungen 1 S. 47 ff.